

etiam dicit *Bassolius* Scotista, quod detur solum in re universale, in potentia, nempe natura singularis in respectu ad intellectum, qui cum similibus comparare potest. Ulterius daturne etiam natura indifferens in Socrate? si nulla jam patet quod seipsum individuet natura Socratis; si aliqua dabitur simul differens & indifferens natura humana in Socrate. Nec effugit *Soncinas* dicens, quod differens & indifferens differat ratione. Nam sic patet quod natura sit determinata in re per seipsam, non per aliquid additum.

§. 9. 5. Essentia aliqua, humanitas v.g. Socratis aut differt numero ab humanitate Platonis intrinsecè, si nempe præscindam quod id quod naturæ extra ipsam superadditum est aut nō. Si differt numero intrinsecè, individuat seipsam. Sin minus, sequitur quod in se humanitas Platonis & Socratis sint idem numero. Et uti natura cum aliâ naturâ, ita posset quoque cum addito comparari. Sed nunc mitto.

§. 10. Argumenta in contrarium pauca sunt & parvi momenti: I. quicquid constituit Individuum materialiter non constituit formaliter. Sed Entitas individui constituit ipsum materialiter. E. & negando majorem, quia materiale & formale individui seu species & individuum non differunt realiter. II. Si essentia in se caret existentia, nec eam implicat sequitur quod sit in se indifferens. Sed verum prius. Quia quod sub opposito alicujus esse & concipi potest id istud non includit. Sed sine existentia essentia esse ac concipi potest. E. & Essentia vel sumitur ut est in intellectu, & pro conceptu quidditativo, sic non est existentia de ratione essentia, vel prout est in re. Sic nego esse posse sine existentia. III. Essentia propria unitas, nimirum formalis, seu specifica est minor unitate numerali. E. ista non competit ei per se, cum ipsi ejus oppositum per se competat. & neg. anteced. de unit. extra intellectum. Sunt hæc argumenta pleraque *Soncinas* l. 7. *Met.* 9. 31. Qui & objicit de accidentibus, quæ solo numero differentia non possint esse in eodem subjecto simul, quod tamen falsum; item de partibus continui divulsis. Verum nos accidentia & entia incompleta removimus à nostrâ tractatione.

§. 11. Secunda opinio est quæ negationes ponit principium